Anno 1532. 24. 9 Apri          Ex. M. S B. Zal8

Sigismundus Rex Poloniæ
Joanni Regi ~~Poloniæ~~ Hungariæ

79

Serenissime Princeps. Postulantibus Reipublicæ rationibus ne quid de Concordia, vel tardius vel negligentius agatur, Nos simul atque ex literis Majestatis Vestræ Suæ perspeximus Causas et rationes ob quas adduci non possit, ut ad tractatus concordiæ inter se et Suum Romanorum Regem instituendos Oratores in Pataviensem Civitatem mittere debeat, illas per literas et Nuncium Nostrum imprimis Cæsareæ Majestati, deinde Serenissimo Romanorum Regi exponere curavimus, in qua re quod Nobis Cæsarea Majestas respondevit Majestatis Vestræ in exemplis literarum mittimus. post hac etiam missuri id quod a Serenissimo Rege Ferdinando respondebetur, nam ab illo ea in re nihil accepimus.

Quoniam vero Cæsarea Mtas adducit certas magni momenti rationes, propter quas æquum et conveniens magis illi videatur, ut Mtas Vestra Sua vel in Pataviensem Civitatem vel in alium illius Majestati propinquum locum potius quam in Regnum Nostrum Oratores suos mittat, Mtatem Vestram Serenissimam, rogamus, ne in Summa et extrema necessitate

Reipublicae Christianae occasionem qualemcunque rei bene gerendae praetermittere, sed illam quatenus tuto licebit, amplecti velit, ut quandocunque post varias sollicitudinesque interpositas ad initium tractationum veniamus de quibus pacis id refert, quo in loco habeatur modo feliciter et pro bono totius Christianae Reipublicae succedant, et transigantur Reliqua prudentissimo Judicio Majestatis Vestrae Serenissimae hac in re pensanda reliquimus.

Caeterum quia in proximo est finis Induciarum annalium, inter Maiestatem Vestram Serenissimam et Serenissimum Romanorum Regem receptarum Maiestatem Vestram Serenissimam rogamus providere velit, ut Arces quae Nobis et Illustrissimo Domino Georgio Duci Saxoniae affini Nostro Charissimo in sequestrum suo Nomine erat concreditae adveniente Die a Nostris praefectis in potestatem Vestrae Maiestatis recipiantur. Nos enim dedimus Aulicis Nostris, in mandatis ut cum dies Induciarum cesserit, illas hominibus Vestrae Maiestatis ad id potestatem et mandatum habentibus tradant et consignent, ad nos quam primum revertantur.

In qua re nihil dubitamus, Maiestatem Vestram Serenissimam quantum expediet, prospecturam esse. Cuius nos amori et benevolentiae fraternae commendamus eamque felicissimam esse et multos in Annos vetesanam ac incolu-

mem-

Incolumem es Animo optamus.
Datum Cracoviae Die Quinta Aprilis Anno Domini Millesimo Quingentesimo Triesimo Secudo. Regni Vero Nostri Vigesimi Sexti.